

circumvicinis habitantium malitia inoleverit, quod huiusmodi imperiales constitutiones transgredi non verentur et ecclesiasticas libertates violare praesumant, pro parte ditorum episcopi et cleri fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere ipsis super praemissis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur vestigiis praefati praedecessoris nostri inhaerentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios constitutiones praedictas in civitate et diocesi ac locis circumvicinis huiusmodi auctoritate nostra faciatis inviolabiliter observari, transgressores ac violatores et contemptores ac sacrilegos praedictos necnon contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii secularis, non obstantibus si aliquibus coniunctim vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam ac expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae apud sanctum Petrum VIII. Kalendas Februarii pontificatus nostri anno secundo.

Rückseite: Notariatszeichen.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen.

Pro G. Stoter.

G. de sancta Cruce.

No. 839. 1412. 10. Febr.

Das Domcapitel erklärt seinen Beitritt zu der im Streite zwischen B. Rudolf und Erzbischof Günther von Magdeburg von ersterem eingewendeten Appellation.

In nom. dom. amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo quadringentesimo XII^o. indictione quinta mensis Februarii die decima hora tertiarum vel quasi, in cimiterio ecclesiae Misnensis prope ostium chori, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Johannis divina providentia papae vicesimi tertii anno secundo coram honorabilibus viris et dominis Wenczeslao praeposito, Johanne decano, magistro Nicolao de Gubin archidiacono Nisicensi, Nicolao de Heynicz cantore, Stephano Moir scolastico, Johanne de Malticz et Hermanno Radestok canonicis ecclesiae Misnensis praedictae capitulariter congregatis ac in mei notarii publici testimonio subscriptorum praesentia personaliter constitutus discretus vir dominus Henricus Krachmeise procurator ut asseruit et procuratorio nomine reverendi in Christo patris et domini domini Rudolphi episcopi ecclesiae Misnensis proponens et dicens, qualiter nondum decem diebus elapsis praedictus reverendus pater episcopus Misnensis a quibusdam praetensis processibus a reverendo in Christo patre et domino domino Gunthero archiepiscopo Magdeburgensi ut asserebat et contra ipsum emanatis et fulminatis ad sedem apostolicam appellavit, petens et requirens praetactos dominos ut praefertur capitulariter congregatos, quatenus dictae appellationi ut praemittitur contra dictum dominum archiepiscopum Magdeburgensem interpositae adhaerent. Ex tunc dominus Johannes decanus supradictus mox de mandato aliorum dominorum et nomine capituli praehabita aequali deliberatione viva voce adhaesit ac ipsam adhaesionem alta voce publi-